DE

EXCEREBRATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIII. M. JULII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS FRANCISCUS GUTTMANN

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

W. DIETZE, med. et chir. Dr.

T. ULLRICH, philosophiae Dr.

O. WENZEL, med. et chir. Cand.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

NEC NON

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE EXCERBRATIONE.

§. 1.

Excerebratio nominatur cerebri evacuatio, quae, integumentis atque ossibus cranii sub partu secundum artis obstetriciae leges per instrumenta perforatis aut sectis, foetus capitis ossibus comprimendis prodit.

§. 2.

Quae quidem operatio eam ob causam adhibetur, ut dissectis capitis ossibus remotaque quantitate cerebri sufficiente et inde diminuto capitis ambitu, proportio inter pelvem relative minorem et capitis molem relative majorem existat, et eo modo infans e sinu materno moveri possit et pericula matri alia ex operatione facile redundantia, nec vero necessaria prohibeantur.

PARS PRIMA.

HISTORIA EXCEREBRATIONIS.

§. 3.

Cognitionem praecipue medicinae sectionis auxilium parturientibus ferentis apud majores nostros magnopere mancam fuisse inde apparet, quod obstetricantes medici fere semper, ubi vires maternae impedimentum parturitioni naturali obstans superare et partum absolvere non valebant, ad instrumenta, quae illis praesto erant, confugerunt, quibus infantem, ut mater conservaretur, dissecuerunt et mortuum removerunt (1).

§. 4.

Celsus quidem infantis versionem ad pedes in utero cavo sub partu difficili instituendam esse docuit. Nihilominus ab aequalibus admodum manca, cruda et infructuosa operatio habita et parum aut rarissime in usum vocata, oblivioni mox tradita est. Atque ars obstetricia, quippe quae ferramentis secantibus uteretur, jam ab Hippocrate, doctrinae disci-

(1) Hippocratis opera. Edit. Kühn. T. II. pag. 702.
Celsus, A. C. De medicina. Edit. Bipont. pag. 489.
„Si caput proximum est, dimitti debet uncus, qui vel oculo, vel auri, interdum etiam fronti recte injicitur."

plinaeque medicae auctore, exercitata et sacra habita, nunc ita defensa est, ut duo fere annorum millia integra perdurarit ac probata sit.

§. 5.

Primis quidem artis obstetriciae temporibus illa operatio opem parturienti ferens in iis solummodo infantibus sub difficili negotio parturiendis exercebatur, qui mortui medico habendi erant (1): tum autem ipsi vivi, iique initio contra obstetricantis voluntatem, postea vero etiam cum clara ejus mente dissecabantur (2).

§. 6.

Multi dein obstetricatores sectioni caesareae sub anni millesimi decimi quinti finem in lucem prolatae, et a Nuffero felicissime in uxore sua factae tanto cum amore addicti erant, ut quamquam eventus saepissime infausti erant, eam apud parturientes etiam non tam angusta pelvi instructas in usum vocarent (3).

---

(1) Hippocratis opera. T. III. pag. 377.

(2) De la Motte. Traité complet des Accouchements etc. pag. 322.

(3) De Falkoniis, N. Observationes chirurg. Venet. 1491. Fol.

§. 7.

Cum autem a medio saeculo decimo quinto ad decimi octavi usque finem ab Ambrosio Pareo, Rousseto, Guillemeau, Mauriseau et de la Motte foetus versionis ad pedes egregiae virtutes manifeste ostenderentur ac literis commendarentur, tanta intravit reactio, ut ars obstetricia illa cruenta, hucusque nulla alia operatione impugnata, nunc certis terminis circumscriberetur. Nec vero ita angusti manebant sensimque proferebantur, quo minus haec versionis methodus rationem inter pelvem maternam et foetus capitis molem perversam exaequare valebat.

§. 8.

Itaque ut ratio artis obstetriciae adhibendae cum animo humano non congruens justum in modum coërceretur, remedium parturienti opem ferens reperiri oportebat, quo sine majore vel matris vel prolis detrimento obvium sub partu interdum impedimentum superaretur. Et hoc remedium, sane anchora sacra, forcipem dico obstetriciam, omnium instrumentorum quae possidet chirurgia utilissimum (1), inventum est. Primus, qui in Europa illud auxilium commendavit,

---

(1) Naegele, F. C. Progr. in quo disseritur de jure vitae et necis, quod competit medico in partu, pag. 4.

memoratu dignus est **Joannes Palfynus** (1), de literis et de genere humano optime meritus, cujus nomen in artis obstetriciae historia illustrissimum ad posteros venit.

§. 9.

Adhibendi illius instrumenti ratione a **Levreto**, **Baudeloquio**, **Smellio**, **Roedero**, **Steinio** sen. et aliis amplificata et communi omnium usui tradita, in illis saltem dystociis, ubi pelvis nimis angusta inveniebatur, forceps in usum vocata est. Simulque accessit ad auxilii hujus meliorem frugem versio infantis ad pedes, denuo illa recepta magisque perfecta. Hoc igitur modo nunc fieri potest, ut proles viva matre viva extrahatur, dum temporibus superioribus aut mater aut proles perire debebat.

§. 10.

Sic sese habentibus rebus jus medici perforantis et excerebrantis finibus circumdare, indicationesque singulas ad excerebrandum invitantes coarctare temporibus nostris reservatum erat. Vix itaque aliter fieri potuit, quam ut viri ipsi doctissimi opiniones ac sententias diversissimas de excerebratione proferrent. Alii excerebrationis loco operationem aliam

---

(1) **Palfyn**, J. Description anatomique des parties de la femme, qui servent a la génération; avec un traité des monstres ect. Avec figur. à Leide. 1708. 4.

mitiorem instituere studebant, quorum princeps fuit Osiander (1), qui graviores, imo gravissimas forcipe obstetricia tractiones faciendas hoc in casu censuit, ubi aliis perforatio necessaria videbatur: alii infantibus solummodo illis, quos mortuos habere liceret, intrumenta secantia admovenda rati sunt, uti de Siebold (2), Busch (3), Wenzel (4), Stein sen. (5): alii denique perforandi et excerebrandi methodum latioribus quam fas est terminis pangebant, e. gr. Stein j. (6), Wiegand, Osborn (7). Quorum differentiam summam Klein, Mende, Joerg, W. Schmidt, Naegelé, Kilian moderari coeperunt, sed horum argumenta, quibus methodorum illarum unam alteramve vel defendere vel rejicere vel ad fines quosdam certos restringere studebant, nondum applausu medicorum obstetricantium communi gaudent.

---

(1) Osiander, F. B. Grundriss der Entbindungsk. z. Leitfaden bei seinen Vorlesungen. Bd. 2. Abth. 2. p. 428. Gött. 1802.

(2) Siebold, A. E. v. Lehrbuch der theoretischen Entbindungsk. 2 Bde. Leipz. 1803.

(3) Busch, D. W. H. Geburtshülfliche Abhandlungen ect. Marburg 1826. Nachtrag II. pag. 156.

(4) Wenzel, C. Allgemeine geburtshülfliche Betrachtungen u. s. w. Mainz 1818. p. 70.

(5) Stein d. ä. Kleine Werke zur practischen Geburtshülfe. Marburg. 1798. V. u. VI.

(6) Stein j. Lehrbuch der Geburtshülfe. Elberf. 1827. 2. Theil. pag. 331.

(7) Osborn, W. Essay on laborious parturit. Lond. 1783.

PARS SECUNDA.

NONNULLA, EX QUIBUS EXCEREBRATIONEM NECESSARIAM ESSE ELUCET.

---

§. 11.

Quantumvis cruenta, quantumvis crudelis, quantumvis vehementer dissentiens cum humanitate et quantumvis nefanda illa majorum obstetricandi ratio esse videatur: ea tamen experientia doctissimorum humanissimorumque probata et hinc sacra habenda, a medico quovis obstetricante saluberrima rei medicae sectio exercetur. Etenim ubi tempus, quo ob rationem inter pelvem et capitis foetus molem turbatam, eamque a medico non detectam aut omnino neglectam, per partus provocationem ante graviditatis finem legitimum auxilium ferendum fuerit, praetermissum est, tunc saepius ratio illa inter nascentis caput et pelvem angustam existens perforare et excerebrare nos cogit. At si perforationis et excerebrationis negotium hoc in casu omittitur, non rare sub partu difficili naturae vi perficitur et quidem hoc modo, ut contractionibus uteri vehementissimis foetus caput ad pubis vel promontorii ossa fortiter supprimatur, ejus ossa cranii singula perfringantur et cerebro per vim expresso ambituque capitis diminuto impedi-

mentum, quod partui obstabat, superetur. Sin istud auxilium per vires naturae solas peragitur, cur eam imitari negligamus, quam optimi cujusvis medici sit, naturae mysteria venerari atque observare, ejusque consilia in suum commodum convertere levissimaque ejusdem indicia sequi?

§. 12.

Saepe excerebratio ultima spes et refugium solatiumque cum medici tum parturientis miserae est; itaque nequaquam est plane inhumana operatio aut omnino rejicienda. Atque excellentissimorum aevi nostri obstetricatorum qui sunt Klein (1), de Siebold, Mende (2), Joerg, W. Schmidt (3), Busch, Stein j., Wiegand, Boer (4), Naegelé, Kilian, alii, communis consensus ac testimonium operationis illius necessitatem sat nobis indicat, et praeterea eidem nomen tributum remedii clementis ac parcentis.

---

(1) Klein, Chr. Ueber die Anbohrung des Kopfes in gewissen Fällen. In Siebold's Lucina, Bd. VI. St. 2. Marburg 1809. pag. 173.

(2) Mende, L. J. C. Beobachtungen und Bemerkungen a. d. Geburtshülfe und gerichtlichen Medicin, nebst fortlaufenden Nachrichten über die Ereignisse der königl. Entbindungsanstalt zu Göttingen. Vergl. Bd. V. pag. 75.

(3) Schmidt, W. Unentbehrlichkeit der Perforation etc. In der Heidelberg. klin. Annal. Bd. I. Stck. 1. pag. 64.

(4) Boer, L. J. De perforatione foetus et dissectione. Viennae 1812. lib. VII. pag. 543.

§. 13.

Quando infantis edendi caput in canali osseo, pelvi materna minore, ita incuneatum est, ut neque forcipis obstetriciae tractionibus peculiaribus neque alio modo partus absolvi possit, sine dubio, si quidem vita infantis superstes certissime cognita sit, aut mortis signa tam dubia et incerta sint, ut potius conjiciendum sit illum adhuc vivere; si sectio caesarea vel omnino non instituenda, vel si hac facta per vulnus in abdominis integumenta et musculos et uterum manus vel tuas vel illas forcipis ferreas vix ingesseris, excerebrationem admittas, quum ea neglecta non solum proles pereat, sed etiam matri periculum maximum adferatur.

§. 14.

Tali in casu itaque, quo constat infantem nullo remedio ab arte obstetricia nobis allato integrum servari et in lucem edi posse, ne fugias vanis consiliis prohibitus excerebrationem propterea, quod ad operationes saeculorum priorum cruentas rudique obstetricantium manu institutas pertineat; ne crucies, ab operatione illa hoc in casu abhorrens, parturientem viribus labore protracto jam privatam tractionibus forcipe diu institutis frustraneis et porro instituendis, quod hoc in casu parturientem si non ad

vitae finem, certe ad aegrotationes morte pejores sane perduces.

§. 15.

Spes autem illorum medicorum obstetricantium est vana ac saepissime perniciosa, qui in partu difficili, ubi aliis instrumentis secantibus utendum est, ad forcipem fugiunt, ut prolem integram atque viventem conservent, illam putantes operationem tractionibus forcipe gravioribus institutis praetermitti vel proscribi posse. Nunquam enim sub illo compressionis gradu, qui requiritur, ut moles capitis e pelvi angusta ad excerebrationem nos invitante extrahatur, vivus et integer conservari potest infans. Atque utraque operatio, si exitum respicis, eo differt, quod forcipis obstetriciae usu non instrumentum absolute lethale adhibemus, infantem viventem tardius, perforantes vero citius certoque occidimus.

§. 16.

Praeterea contemplandum est, tali in statu advocata forcipe pericula matri provenire. Illa enim forcipe necessarie progrediens capitis foetus compressio, quae ad impedimenta omnia superanda adhiberi debet, non solum infanti nascenti damnum affert, sed quando summum in gradum cranii foetus ossa compressa sunt neque ulterius comprimi possunt, matris quoque partes ad partum spectantes

cum molles tum osseae inflammationibus, gangraena aliisque morbis afficiuntur, quibus mater vel ad aegrotationes gravissimas diurturnasque vel ad mortem facile perducatur.

§. 17.

Quamdiu igitur non certa ratione jam diu ante legitimum graviditatis finem perforationem et excerebrationem necessariam providere nobis contingit; quamdiu auxilio et ope denudatos nos sentimus, qua impedimentum illud ex pelvi materna sub partu proveniens sine detrimento vel matris vel prolis quocunque in casu difficili auferre possimus: tam diu etiam illa capitis foetus perforatio et excerebratio habenda erit remedium mite clemensque ac necessarium.

PARS TERTIA.

NONNULLA DE EXCEREBRATIONIS EFFECTU AD PARTURIENTEM ET INFANTEM NASCENTEM CUM VIVUM TUM MORTUUM SPECTANTE.

§. 18.

Quod ad parturientem pertinet, capitis foetus excerebratio, ut supra commemoravimus, matri auxi-

lium ferendi methodus quam maxime parcens et pericula removens haberi potest ac debet, quia ea adhibita ratio et proportio inter capacitatem pelvis et molem capitis majorem in gradum turbata exaequatur, et hoc modo partes matris ad partus negotium spectantes minus laesioni expositae sunt.

§. 19.

Osiander eundem esse exitum excerebrationis ac sectionis caesareae haud scite monuit. Neque enim ex operatione ipsa, sed ex difficultatibus, quae vel propter pelvem maternam majorem in gradum angustam, vel propter tempus injustum vel rudem ineptamque manum cum excerebratione instituenda conjunctae sunt, damnum matri provenire potest. Quotiescunque itaque providendum est excerebrationis exitum matri perniciosum fore, operationem crudelem, inhumanam nefandamque denominemus (1). Certum autem est, exitum matri provenientem, dummodo operatio tempore justo suscipiatur, non solum non periculosum aut perniciosum, sed adeo dolores sub partu minuentem (2) singulisque in casibus parturientis vitam manifeste conservantem haberi posse.

---

(1) Kilian, H. Fr. Die operative Geburtshülfe. Bonn 1834. 8. Bd. II. pag. 722.

(2) Idem pag. 715: Excerebrationis negotium, justo tempore susceptum, molestias partum naturalem comitantes vix vel paullo superat.

§. 20.

Infanti vero edendo excerebrationis eventus alius est. Quoniam capitis foetus ossa ad ejus ambitum imminuendum dissecantur, viventi proli lethalis esse non modo potest, sed debet: nam quamquam inter medicos satis constat, infantes cum capite perforato et excerebrato post partum per horas diesve adhuc vixisse (1), tamen exemplum nullum nobis proditum est, unde evincatur, eos diutius servari potuisse. Summum rei medicae est consilium vitam, quamdiu medico contingat, conservandi, nunquam vero extinguendi: quare infans, si vita superstes certissime cognoscitur, vel si licet conjicere, partu absoluto eandem continuari posse, nunquam perforationi et excerebrationi subjiciendus est propterea, quod praesto sunt nobis remedia, quibus et parturientis et infantis nascentis vitae sub partu interdum invicem oppositae conservari possint.

§. 21.

A re itaque plane alienae, imo vituperandae sunt medicorum sententiae illae, quae nos ambigere cogant et ita quaerere, num vita matris illi infantis praeferenda; reprehendenda itaque et obstetricantium

(1) Idem pag. 719: Auctores complures adlegantur, exempla tradentes infantum perforatorum et excerebratorum per horas nonnullas, imo per dies post partum viventium.

actio, quae illis principiis, quibus matris vita majoris sit pretii vita infantis, nititur. Quantumvis humana, quantumvis ingenua, quantumvis applausu digna singulari nimirum in casu illa cogitandi atque agendi ratio esse videatur, ab arte tamen obstetricia longe aliena et ab illis profecta erit habenda, qui potius amori ergo genitricem quam officiis suis medicis inserviunt (1).

§. 22.

Qualemcunque differentiam inter sectionem caesaream et excerebrationem invenias, hoc tamen constat, operatione illa, matri licet summum periculum parante, utriusque vitam conservari posse, dum hac, ut jam supra dictum est, infantis vita necessario pereat. Hanc vero vitae prolis extinguendae rationem illo nimirum in casu, ubi sectione caesarea facta conservatum iri prolem crediderunt, permulti et inter hos potissimum juris consulti necem clara mente peractam et sic poena dignissimam declararunt. Licet nos nequaquam fugiat, excerebrationem parturienti minus periculosam esse sectione caesarea, inde tamen jus inculpatae tutelae, indeque jus postulandi prolem nascentem excerebrandam esse, matri illo quidem in casu deduci non potest, ubi sectione caesarea infans vivus in lucem edi possit (2).

---

(1) Klein, Chr. In Siebold's Lucina. Bd. V, St. 2. p. 180.

(2) Mende, L. Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtsh. Bd. V, Abth. 2, pag. 80.

§. 23.

Summum licet sit matri ex lege naturali vitam conservandi suam, ex lege tamen cum morali tum civili, qua nos vivimus quaque protegimur, illud vitam suam conservandi summum officium nequaquam valet. Femina matrimonium ipsumque connubium iniens pericula sibi imponit omnia ex actione illa provenientia simulque officium summum proli, in sinu materno versanti, ne ullum quidem damnum afferendi: foetus autem in utero adhuc clausus non tantum genitricis, sed genitoris quoque nec non civitatis ipsius est, matri itaque jus vitae necisque non concedendum.

§. 24.

Medicus obstetricans, cujus quidem est auxilium ferendi officium matri aeque ac proli, ad foetum dirimendum nequaquam obligatus, nec parturientis voluntati obediens (1) esse potest vel debet. Verum enim vero arti nostrae jurisdictio praecepta dare tunc demum valebit, quando quaelibet artis obstetriciae principia ac fundamenta nullas amplius medicorum sententias inter se discrepantes admittunt (2). Quae quum hucusque non data sint fun-

---

(1) Mittermaier, C. J. A. Im neuen Archiv des Criminalrechts Bd. VIII. Halle 1826. XIX. Ueber die Gränzen und Bedingungen der Straflosigkeit der Perforation. pag. 601.

(2) Idem dicit pag. 597. „Alles, was der Arzt innerhalb des

damenta immutabilia, nec omnes inter se consentiant medici obstetricantes; profecto nec artis nostrae accuratior cognitio nec justus principiorum ejus usus ab illis exspectari potest, qui jurisprudentiae student.

§. 25.

Ubi autem infanti facultatem vivendi non adesse medicus obstetricans arbitratur, sine dubio excerebratio instituenda est. Fac enim canalem illum osseum, quem transire debet pariendus, tam angustum esse, ut foetus caput in illo fortiter incuneatum nec vehementissimis uteri contractionibus, ne forcipis quidem ope extrahi posse; fac porro vires maternas diutius protractis laboribus exhaustas, contractionesque uteri mox plane deficientes ac symptomatum succedaneorum legionem aggressam: hic nos non cogit ambigere quaestio illa, utrius vita majoris sit pretii, utra sit medico conservanda; vel hac, num licitum sit medico infante occiso matrem conservare: sed hic potius a medico obstetricante requiri potest, ut lege artis partum absolvat matremque servet.

Gebiets seiner Kunst vornimmt, ist, wenn auch der Erfolg noch so unglücklich ausfällt, kein Gegenstand crimineller Untersuchung u. s. w."

Ibidem sub finem pag. „Dagegen kann der Arzt nie wegen Anwendung ausserordentlicher Mittel oder gewagter Versuche verantwortlich werden, sobald er nur nach den Regeln seiner Kunst handelt."

Licet ex lege divina praecipiente, ne occidas, crimen necis medico intendatur, tamen fine probatur ejus agendi ratio nec propterea mala habenda, quod malum prohibetur.

§. 26.

Quamdiu enim infans illo in discrimine versatur, ut ne ullo quidem auxilio vel remediis, quae ars nostra possidet, vivens e pelvi materna extrahi possit, itaque facultate vivendi privatus haberi debeat, quasi mortuus ab obstetricante tamdiu habendus est, donec arti nostrae in statu rerum tam difficili porrigere nobis remedia continget, quibus rei medicae consilium summum, vitae conservandae finem, meliorem in modum peragere nec non perforationis et excerebrationis methodum proscribere nobis licebit.

§. 27.

Quando ergo nos certiores facti sumus, foetus caput in pelvi materna coarctata admodum incuneatum esse, ut contractionibus uterinis ex illo canali excludi nequaquam possit; quandoque symptomata, quibus mater ulla ex parte periclitatur, accedunt, viresque ad partum perficiendum deficere incipiunt: tum perforandi et excerebrandi negotium summopere necessarium et valde commendandum est.

§. 28.

Denique de effectu, qualis fit infanti mortuo. Qui quidem effectus operationis solus excerebrationem indicare dicitur. Excerebrationem enim tunc

demum permissam esse quidam nostratium medicorum contendunt, Wenzel, de Siebold, Busch et alii, ubi certissime de infantis morte medico persuasum sit. Sed quomodo, quibus signis, quo tempore praeterlapso de infantis morte certiores reddimur?

§. 29.

Sunt quidem signa seu mortem seu vitam prolis indicantia; at vero illa nec certo quodam tempore nec in quolibet casu deteguntur, nec quae fortasse adsunt, adeo certe stabilienda, ut alterutrum certissime designent. Quam quidem sententiam complura testantur exempla, ubi vel mater vel experientissimus medicus obstetricans ne levissimum quidem prolis mortuae vestigium animadvertebat, infans tamen epidermide resoluta et putredine manifesta instructus in lucem editus est (1). Quum haec ita sint, ad quaestionem adducimur hancce, num infans pariendus cujus signa vitae nulla exstent, mortuus habendus sit, nec ne? vel num infans, cujus signa mortis non certissima adsint, vivus et facultate vivendi instructus habendus sit, nec ne? Illo enim in casu, ubi sub partu ineunte prolis viventis signa aderant, ea vere, horis nonnullis praeterlapsis, capite interea ad nec tamen in pelvim minorem firmiter adpresso, summa cum cura explorantem attentumque atque experientissimum obstetricatorem fugiunt: quomodo hic de

---

(1) Steidelle. Lehrbuch von dem unvermeidlichen Gebrauche der Instrumente pag. 34 et seq.

prole cogitet medicus? quid hic faciat? quibus argumentis actionem suam defendat?

§. 30.

Mens sana atque humanitas vera nos docent, de infantis vita haud certioribus factis, sed sperantibus solum eundem vivere posse, matris vitam summo periculo omnino non licere submittere, ideoque infantem, mortuum nobis modo cognitum, ipsum talem esse tractandum. Sicuti nempe in matre in graviditatis fine versante subitoque mortis signis collabente infantis viventis gratia nobis licet atque adeo jure imperatur sectionem caesaream instituere, quin ullum temporis momentum cunctemur, ut nobis de illa mortua, nunc quidem neutiquam certo cognoscenda, persuadeamus: pari modo ad matrem viventem servandam liceat nobis perforare infantem, cujus vitae actionum ne ulla quidem animadverti queat (1). Si quidem de conservatione praestantiore, quam multi medici obstetricantes omnino matri sese debere putant, unquam in arte obstetricia sermo esse possit, in casu praesenti talis existit, ubi nempe de excerebrando infante haud vivente matris conservandae causa agitur. Ab officio autem medici summo, ubicunque fieri potest, utrumque servandi recedere nullo modo debemus. Vere vituperandum sit, nisi, quamdiu parturiens viribus adhuc satis vigeat, au-

(1) Kilian, H. J. Die operative Geburtshülfe, Bonn 1834. Bd. II, pag. 334.

xilia quaeque concedenda experti fuerimus, ut infans, cujus mortem adhuc semper dubiam permanere oportet, incolumis ex utero amoveatur; nec minus stultitia dignum ac plane reprobandum erit, si quis ex hoc praecepto colligere velit haud licere excerebrare, priusquam matris vita mere in periculo versetur, vel epidermis parte infantis prominente decidens cunctationem ingrediendi ineptam finiat, vel denique haud antea, quam infans operatione ejusdem salutis causa instituta ac saepius frustra tentata deperditus haberi queat.

§. 31.

Inter omnes vero constat, jure meritoque esse contendendum: moderate et caute temporare, rebus ceteris permittentibus, laude solum summa esse dignum, multis casibus scilicet exstantibus, ubi forceps fortasse jam saepius frustra tentata, horis nonnullis temperando praeterlapsis, eximium atque effectum exoptatissimum praebuit; imo ipsa natura ibidem auxiliatrix sola apparuit, ubi jam perforatio atque jure instituenda in mentem venerat. Nec minus cunctatio ingrediendi denuo semper evadens neutiquam est probanda, praesertim cum vi ad partum exhausta jam intrent symptomata, quae illo modo matris saluti dubia ac periculosa habenda sint.

PARS QUARTA.

INDICATIONES.

§. 32.

Excerebrationem locum tenere medium inter capitis infantis haud diminuti extractionem vel manibus vel forcipe effectam et sectionem caesaream, ideoque graviditate non plane praeterita partu praematuro arte provocando vitari posse, ex iis, quae diximus eluxerit. Num in hoc casu synchondrotomia, nostris temporibus valde defensa, operationem nostram huc vel illuc supervacaneam reddere queat, adhuc incertum ac dubium est, igiturque tempore futuro demum stabiliendum erit.

§. 33.

In partubus omnibus excerebratio est instituenda, quibus infans mortuus vel vivendi facultate privatus per pelvis canalem integer extrahi nequit, et sectio caesarea idcirco contraindicata apparet, quod proportio spatii inter pelvim et fructum non consentanea est, aut quod fructus capite pelvi minori firmiter incuneato haud movendus, eximi quoque nequit.

§. 34.

Proportio inter fructnm et pelvim turbata vel ex illo vel ex hac sola vel interdum ex utroque prodit. — Quo in casu infans deformitate, ex. gr.

hydrocephalo aliave ejusmodi monstrositate, vivendi facultate privatus aestimandus apparet, capitis diminutio postulatur et quidem plerumque per paracentesin. Experientia autem nos docet, tales fructus, nisi forsitan quid obstet, viribus matris solis semper felicissime edi (1), quare in excerebratione eligenda tali in casu praesertim proportio pelvis spatii, scilicet ceteris rebus bene cedentibus, respicienda est.

§. 35.

Quanam in pelvi plus minusve angusta perforare et excerebrare liceat, praeceteris a Busch (2) definite constitutum est, quae quidem constitutio in casu praesenti, sicuti alio quoque multas admittit dubitationes. Quamquam enim perforationes fere omnes in pelvi angustiore instituebantur, plures tamen existebant non sola pelvi angustiore indicatae. Quum nempe consideramus in casibus illis a Kilian allatis infantes viventes ac fortes, capitis suturis autem

---

(1) de la Motte. Traité complet des Accouchemens. Lib. IV, pag. 616.

(2) Busch, D. W. H. Lehrbuch der Geburtsk. Berlin 1836. pag. 457. §. 994. Die Anzeigen zur Perforation sind folgende: Enge des Beckens von 2¼ bis 3 Zoll in dem kleinsten Durchmesser, bei bestimmt erfolgtem Tode des ausgetragenen Kindes und erwiesener Unmöglichkeit der Durchführung des Kindskopfes durch andere Mittel, hier kann die Perforation, nachdem die Geburtsthätigkeit sich gehörig entwickelt hat, ohne eine weitere vorgängige Operation vorgenommen und die Austreibung des Kindes der Wehenthätigkeit überlassen werden, wenn dieselbe kräftig genug ist u. s. w.

mollibus, conjugata pollices $2\frac{1}{2}''$ ad $3''$ explente esse editos (1); quum memores sumus medicorum, qui forcipe in conjugata pollices $2\frac{1}{2}''$ ad $3''$ explente eventu cum prosperrimo auxilium tulerunt; denique perpendentes, quoties jam feminae, quas indicatio strenua perforationi submittere debebat, in partubus sequentibus vel forcipis ope vel naturae ipsius viribus solis infante vivente sunt solutae: inde apparet, non aliter ex fructu nimis amplo atque ex pelvi nimis angusta excerebrationem pendere.

§. 36.

In casu altero, quo spatii proportio inter fructum et pelvim ex hac sola vel ex utroque proficiscitur, status infantis in pelvi diversus, praecipue quadruplici modo apparens, est respiciendus.

§. 37.

Pars praevia si est caput neque in pelvi minore commoveri potest et forcipe frustra adhibita, signa jam genitalium inflammationis aliaque symptomata salutem matris ac vitam vere periclitantia intrant: hoc in casu omnino excerebratio est indicata, praesertim quum infans vere vivus licet cognitus, ibidem certe facultate vivendi privatus aestimandus sit.

§. 38.

Pars praevia si caput quoque est, sed adhuc

---

(1) Osiander, F. B. Grundriss der Entbindungsk. Bd. II. Absch. 2, pag, 440 et seq.

in pelvi majore sive in pelvis minoris introitu versans ac mobile, neque vero uteri vi propelli potest, tum vivente cognito infante sectio caesarea est instituenda, vel si vita cognosci nequit, excerebratio certe praeferenda.

§. 39.

Trunco jam nato caput solum si resistit nec naturae viribus nec forcipe evoli potest, infans non solum facultate vivendi privatus, sed etiam plerumque ob funiculi umbilicalis compressionem jam mortuus, haud dubie excerebratione eximendus est.

§. 40.

Situs si apparent obliqui, infantis capite vel trunci parte inferiore in pelvim minorem nondum introducta, vita infantis elucente manifestaque facultate vivendi sectio caesarea est suscipienda; ubi autem vita vel vitae facultas non est cognoscenda, excerebratio capitis in pelvim introducti praeferenda.

V I T A.

Ego Franciscus Carolus Henricus Guttmann, catholicae addictus confessioni, Frankenstenii, oppido Silesiae, natus sum die XXIX Januarii anni MDCCCX patre Josepho et matre Theresia e gente Bergel, quibus adhuc viventibus piissimo laetor animo. Primis literarum elementis in scholis publicis ac privatis imbutus, Gymnasium Glacense, cui praefuit Director Müller, petii ibique per octo annos studiis humanioribus incubui. Maturitatis testimonio instructus incipiente autumno a. MDCCCXXXIII Vratislaviam me contuli, ubi a Rectore magnifico Ill. Dr. Schneider inter universitatis cives receptus et initio ab Ill. Fischer t. t. Decano spectabili, in album facultatis philosophicae relatus, tunc autem ab Ill. Bendict, t. t. decano spectatissimo, medicinae studiosis adscriptus sum.

Praelectionibus tam philosophicis quam medicis interfui hisce: Ill. Braniss de logice, Cl. Elvenich de phsychologia, Ill. Wachler de hodegetice, Cl. Ritschl de Platone, Ill. Schneider de Horatio, Exper. Held de Herodoto, Exper. Rhode de Cicerone, Ill. Stenzel, Cel. Kutzen et Cel. Schoen de historia, Ill. Henschel de encyclopaedia medica, pathologia et medicinae historia, Ill. Glocker de mineralogia, Ill. Gravenhorst de zoologia, Cel. Goeppert de botanice et de arte formulas medicas concinnandi, Ill. Fischer de chemice experimentali, Cel. Frankenheim de physice; Ill. Otto de osteologia, de anatomia universa, de sectione forensi, de anatomia pathologica et comparativa, qui artem quoque cadavera rite secandi me docuit; Ill. Purkinje de physiologia corporis humani experimentis illustrata; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fas-

ciis rite applicandis et instrumentis chirurgicis, qui idem vir humanissimus scholis examinatoriis de quolibet chirurgiae capite, nec non operationibus in cadeveribus rite instituendis interesse mihi benevole permisit; Ill Wendt de materia medica et de morbis infantum et de thermis, Ill Remer de therapia generali et speciali, Ill. Betschler de arte obstetricia theoretica, Cel. Burchard de arte obstetricia practica, Exp. Klose de medicina forensi.

In exercitationibus medico-clinicis et policlinicis Ill. Remer, in chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Benedict et in obstetriciis Ill. Betschler mihi benignissimi moderatores fuerunt. Praeterea Cel. Dr. Remer, Cel. Dr. Burchard, Dr. Koehler, Dr. Schoenborn, Dr. Timph, Dr. Neumann, Dr. Wendt adjutores mihi fuerunt in exercitationibus clinico-practicis.

Quibus omnibus Viris Illustrissimis, Celeberrimis et Experientissimis quam maximas ago gratias; nec ulla unquam oblivio movebit memoriam de me meritorum e grato animo. — Anno MDCCCXLIII Berolinum profectus sum ibique a Rectore magnifico Ill. de Raumer in civium academicorum numerum receptus, ab Ill. Müller, t. t. Decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum.

Tentaminibus vero, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso Medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Caries e causa interna exorta facilius quam e causa occasionali sananda.
2. Synchondrotomia nulla conditione instituenda.
3. Vis medicatrix naturae errare non potest.
4. Nulla exstant medicamina abortiva in officinis.